



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Quomodo genus requirit plures species.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

sequenter animal & substantia non sunt distinctæ rationis in ratione generis.

28. *Contra tamen hanc doctrinam*, quia sicut genus habet diuersum modum prædicandi à specie, quia scilicet prædicatur incomplete, & species complete; ita etiam genus superius habere videtur diuersum modum prædicandi à genere inferiori, quia prædicatur per modum magis incompleti & magis potentialis, ut est euident, quia est in potentia & ad genus inferius quodcumque, suæque inferiora, & ad alia; verbi gratia, substantia ut sic est potentialis respectu corporeæ substantiæ omnium; quæ sub ipsa continentur, & præterea ad substantiam incorpoream, contentaque sub ipsa substantia autē corporeæ non est tam potentialis, quia solum est potentialis respectu corporearum substantiarum, & non respectu incorporearum. Propter hoc probabiliter potest dici quod genera superiora distinguantur etiam in ratione generis ab inferioribus, ut supra dixi disp. præcedenti.

Alia responsio ad objectionem.
Iuxta quem dicendi modum responderi potest aliter ad objectionem negando minorem, & concedendo sequelam probationis, negando verò esse absurdum quod dentur plures vniuersales species quam quinque, quamuis omnes possint reduci ad illa quinque.

Alia obiectio posset proponi hic, nimirum quod genus prædicetur de pluribus numero differentibus; animal enim prædicatur, de Petro & Ioanne. Sed ad hanc objectionem respondebitur postea disputatione sequenti, quæstione prima num. 12. & modo sufficit insinuare quod non prædicetur de indiuiduis immediate, nec tantum, sicut species prædicatur; quod sufficienter significatur dum dicitur esse prædicabile de speciebus, eo enim ipso datur intelligi quod non prædicetur tantum, nec immediate de indiuiduis.

29. Obicitur ultimo contra secundam partem conclusionis, quia dictum est quod prædicta definitio generis sit essentialis: illa definitio non est essentialis, quæ datur per proprietatem, sicut nec hæc est definitio essentialis hominis, sed potius descriptio eius: homo est animal rationale; at prædicta definitio datur per proprietatem, quæ est proprietas eius.

Confirmatur, quia Porphyrius vocat illam explicationem generis, descriptionem, & non definitionem: ergo talis est censenda.

Respondetur, negando minorem, prædicabilitas enim de multis est de essentia vniuersalis logici, de quo agimus, siue loquamur de vniuersali logico, prout dicit illud quod est prædicabile exercite de multis; siue loquamur de ipso, prout dicit illud, quod est prædicabile signate de multis; & consequenter prædicabilitas talis est de essentia generis. Quod si etiam ipsamet prædicabilitas formalis non esset de essentia vniuersalis, sed proprietas eius, adhuc posset saluari quod prædicta definitio esset essentialis, quia non intelligeretur per prædicabilitatem in ea positam prædicabilitas formalis, sed radicalis & fundamentalis, quemadmodum contingit in multis aliis definitionibus, in quibus circumloquuntur Doctores differentias rerum per earum proprietates.

Ad confirmationem nego consequentiam, quia sæpè confundunt auctores latini has voces, descriptio & definitio, vtentes iis tanquam synonymis.

QVÆSTIO III.

Quomodo genus requirit plures species.

30. **E**rtum est ex definitione seu descriptione generis præmissa, genus requirere aliquo modo plures species, quia aliàs non esset prædicabile de illis: sed adhuc dubitari posset an requiratur illas actu existentes, an vero sufficiat quod possibiliter existant, seu quod possint existere; vel an requiratur quod existant obiectiue in intellectu, hoc est quod intellectus cognoscat ipsas ut possibiles, vel ut actu existentes.

Prima sententia est, genus primo intentionaliter acceptum, hoc est quæcumque naturam, quæ potest prædicari de pluribus prædicatione exercita, requirere plures species actu existentes, quamuis species non requiratur plura indiuidua actu existentia. Ita Complutenses Carme-

lite disp. 6. quæst. 2. citantes pro se plures Thomistas, & ex recentioribus Toletum ac Ruinum.

Secunda sententia est genus non solum non requirere plures species actu existentes, sed nec requirere plures species possibiles, quæ species sint veræ species & prædicabiles de pluribus indiuiduis, sed sufficere quod habeat sub se vel actu, vel possibiliter plura indiuidua distinctæ rationis, quorum tamen ratio distinctiua non sit communicabilis vterius, aut saltem non debeat considerari ut talis, ita scilicet, ut si esset tantum vnus homo possibilis, & vnus brutum, adhuc animal haberet rationem generis respectu hominis & bruti, & ita ut quamuis sint plures homines possibiles, & plura bruta, tamen ut consideretur animal esse genus respectu hominis, & bruti, non esset necessarium quod consideretur homo, aut brutum, ut communicabilia, aut prædicabilia. Hanc sententiam proponit Auerſa hic scilicet 4. sed nullum auctorem pro ea citat.

Tertia sententia est genus non requirere plures species actu existentes, sed requirere tamen plures species communicabiles, ita ut non possit cognosci sub ratione generis, quin cognoscat habere sub se plures species communicabiles & vniuersales. Hæc tribuitur Doctores quæst. 18. vniuers. cum suis, quos sequuntur Louanienſes hic part. 4. Auerſa supra, & recentiores communiter.

Pro declaratione huius difficultatis aduertendum est, eam esse præcipue de genere metaphysico, seu primo intentionaliter accepto, hoc est de natura quacumque, quæ est prædicabilis exercite prædicabilitate generica; nihilominus tamen aliquid etiam in gratiam tyronum de genere logico addendum erit.

CONCLUSIO I.

31. *Licet de facto omnis natura generica habeat sub se plures species communicabiles, vel actu existentes, vel saltem possibiles, tamen probabile est quod ad saluandum conceptum generis, ut distinguitur a cæteris prædicabilibus, id non requiratur, sed sufficiat ipsi habere sub se plura indiuidua distinctæ rationis essentialis, etiamsi ratio distinctiua eorum non esset communicabilis vterius.*

Prima pars huius assertionis est communissima auctorum primæ & tertiæ sententiæ, & fortassis non negaretur ab authoribus secundæ, quibus sufficere deberet secunda pars conclusionis.

Probatur prima pars; quia non est implicantiā aliqua, quod vllum prædicatum essentialē creatum multiplicetur numero saltem: ergo omne tale prædicatum est sic multiplicabile per diuinam potentiam: ergo nullum est prædicatum specificum contractuum generis, quod non sit multiplicabile, & consequenter omnis natura specifica contenta sub genere est communicabilis vterius, quia quæcumque natura, quæ solis constat prædicatis communicabilibus, est communicabilis; sed natura specifica quæcumque contenta sub genere constat solum ipsomet genere & differentia specifica contrahente genus: ergo si illa differentia sit communicabilis, etiam ipsa natura specifica est sic communicabilis.

Confirmatur hæc pars per omnia illa principia, quibus Scotistæ & recentiores communiter probant esse possibiles plures Angelos distinctos numero tantum: nam si omnis natura specifica Angelica sit communicabilis vterius, quæcumque alia natura specifica erit vterius communicabilis; nulla enim potius deberet esse incommunicabilis, quam natura specifica Angelica, & nulla est ratio, cur quæcumque Angelica esset sic communicabilis potius quam quæcumque alia specifica. Hæc autem principia hic sunt supponenda, de quibus per se agi solet in materia de Angelis, & fortassis nos etiam aliquid dicemus disputatione sequenti.

32. *Secunda pars conclusionis, in qua est maior difficultas, est expressè contra Auerſam supra, & probatur, quia si verbi gratia solus homo esset possibilis, & solum vnus brutum, aut si consideraretur ab intellectu vnus homo & vnus brutum, non considerando alios homines, aut alia bruta possibilia; posset adhuc intellectus considerare animalia*

Natura generica non requirit plures species possibiles.

Omne prædicatum essentialē est multiplicabile.

animal inexistere homini & bruto, & esse de illis prædicabile alio modo, quam aliquod aliud prædicabile ex reliquis prædicabilibus: ergo posset considerare ipsum sub ratione genericæ; & consequenter ad naturam genericam formaliter loquendo non requiritur pluralitas specierum communicabilium; neque à parte rei, nec in intellectu. Minor, in qua sola potest esse difficultas huius argumenti, continet duas partes; Prima est, quod possit in tali casu intellectus considerare animal inexistere homini & bruto, & consequenter quod possit considerare ipsum ut prædicabile de illis; & de hac parte non potest esse dubium. Secunda pars est, quod possit ipsum considerare, ut prædicabile distinctæ rationis à cæteris prædicabilibus; & probatur hæc pars, quia consideraretur, ut prædicabile per modum alicuius essentialis, & consequenter consideraretur, ut distinctum prædicabile à proprio, & accidente, ut est evidens; consideraretur etiam, ut aliquid prædicabile in quid, & consequenter consideraretur, ut distinctum prædicabile à differentia, quæ prædicatur in quale quid. Consideratur denique, ut pars essentialis & ut determinabile per aliam partem, non vero, ut tota essentia; ergo consideraretur ut prædicabile distinctum à specie infima, quæ prædicabilis est ut tota essentia; ergo à primo ad ultimum in tali casu consideraretur ut prædicabile distinctum à quatuor ultimis prædicabilibus.

33 *Dices*: in tali casu considerarentur homo & brutum, ut solo numero distincta, aut saltem non considerarentur ut distincta specie, aut essentialiter; ergo consideraretur animal respectu eorum ut tota essentia, sicut si consideraret aliquis Petrum & Paulum, ut animalia præcisè, non considerando illos, ut rationalia, aut irrationalia, tum consideraret animal, ut tota essentiam eorum; & propterea dicitur quod animal, ut considerabile in ipsis habeat rationem speciei, & non generis. Probatur antecedit, quia non considerat quis aliqua, ut specie distincta, nisi consideret illa habere aliqua prædicata essentialia distincta: sed in tali casu non consideraret intellectus illa animalia habere aliqua prædicata essentialia distincta; quod probatur, quia quævis consideraret hominem non solum ut animal, sed ut rationale, & brutum, etiam non solum ut animal, sed etiam ut irrationale, tamen non consideraret rationalitatem, ut prædicatum essentialis, aut irrationalitatem, sed potius ut prædicatum individuale, quia ut consideraret ipsa ut prædicata essentialia, deberet considerare ipsa, ut prædicata intrinseca & communicabilia; ideo enim hæcitas, licet sit intrinsecum individuum, & per se primo competens ipsi, non tamen est prædicatum essentialis ipsi, quia non est communicabile: ergo omne prædicatum essentialis debet esse communicabile, & ut consideretur tanquam essentialis, debet considerari ut communicabile.

Prædicatum essentialis ut sic non debet esse communicabile.

34 *Respondetur* ad hanc replicam negando antecedens cum minori suæ probationis, & ad probationem istius minoris dico non debere prædicata essentialia eo ipso formaliter, quo essentialia, esse communicabilia, aut ut considerentur tanquam essentialia, considerari ut communicabilia, licet à parte rei de facto sint communicabilia; nec propterea dicitur hæcitas non esse essentialis prædicatum rei individuum, quod non sit communicabilis ulterius: sed quia tantum deseruit ad distinguendum illam rem ab alia re numero, & in ordine ad hoc quod illa res non sit alia res; nec est principium ulterius operationis, aut proprietatis, per quam vlla vna res possit cognosci ut dissimilis naturæ ab vlla alia re existente in rerum natura, aut possibili: prædicata autem essentialia debent esse principia alicuius operationis, aut proprietatis, per quam res includens illa distinguatur ab aliqua re reali, vel rationis; unde quandoquidem consideraret intellectus rationalitatem, ut prædicatum intrinsecum hominis per se primo competens illi, & ut tale, propter quod distinguitur à bruto plusquam numero, omnino consideraret ipsum ut prædicatum essentialis, quamvis non consideraret ipsum ut communicabile.

35 *Confirmatur primo*, quia gratis asseritur quod prædicata essentialia debeant formaliter quæ talia dicere

communicabilitatem, nam nihil requiritur ut sint essentialia, nisi quod distinguantur ab accidentibus, proprietatibus, & hæcitatibus: sed sine communicabilitate ab his distinguerentur; ergo non requiritur ad constitutionem prædicati essentialis, nec ad intellectum eius quale, communicabilitas: probatur minor, quia distingueretur ab accidentibus, distingueretur etiam ab hæcitate, quia hæc est principium formale distinctionis numericæ tantum: sed illud esset principium distinguendi plusquam numero; certum enim est quod intellectus considerat unum hominem & unum brutum, quamvis non consideraret humanitatem & brutalitatem, ut communicabiles pluribus individuis, consideraret tamen illa magis esse distincta per se, quam videt de facto duos homines esse distinctos, quia hos non videt esse distinctos, nisi numero, seu quatenus unus ex illis non est alius, sed hominem illum & brutum videret non solum esse numero distinctos, ita ut unum individuum ex illis non sit realiter aliud, sed ulterius videt unum ex illis posse aliquid facere dissimilis rationis illi, quod potest facere alterum, videt enim hominem posse discurre, & brutum non posse discurre.

36 *Confirmatur secundo*, quia de facto ratio substantiæ spiritualis infinita est essentialis prædicatum Deo, & tamen non est prædicatum communicabile cum diuisione pluribus numero distinctis; ergo ut aliquid sit prædicatum intrinsecum & essentialis, non requiritur per se formaliter quod sit communicabile cum diuisione.

Dices, non requiri quidem in diuinis, requiri tamen in creatis.

Contra primo, quia hoc gratis dicitur: cur enim requiritur in creatis magis quam in diuinis?

Contra secundo: Ideo illud prædicatum est essentialis Deo, quia per se primo competit ipsi, & non solum facit ipsum numero distinctum ab aliis; ergo quodcumque prædicatum habet talem rationem respectu creaturæ, debet dici esse essentialis creaturæ; alias certe posset quis negare quod vllum prædicatum proprium Deo esset essentialis ipsi, & qui id negaret non posset convinci, nisi quatenus absurdum esset, prædicatum intrinsecum per se primo competens rei & faciens rem differre plusquam numero, non esse essentialis; ergo omne tale debet admitti esse essentialis tam in creatis, quam in diuinis.

37 *Obiicitur pro Auerſa* autoritate Porphyrii definitis genus per ordinem ad plures species, quam definitionem admisimus supra tanquam bonam, & confirmatur, quia Philosophus 4. Topic. cap. 3. dicit omne genus habere plures species, & si contingat alteram speciem deesse, genus non esse genus.

Respondetur aliud esse, quod genus contineat sub se plures species, aliud esse quod illa species necessarîo ad conceptum generis debeant esse communicabiles. Primum volunt Philosophus & Porphyrius, & nos ultro concedimus, nec præiudicat conclusioni; secundum non volunt, nec probatur ab Auerſa.

Dices: genus definitur per ordinem ad species sub illo conceptu, quo definitur species, sed definitur ut species communicabilis & prædicabilis de pluribus; ergo genus dicit ordinem non solum ad plures species quomodo-cumque, sed ad plures species communicabiles.

Respondetur negando maiorem loquendo formaliter: quævis enim definitur in ordine ad illud, quod est species & communicabile iuxta illam definitionem, tamen non definitur in ordine ad illud, ut est formaliter species communicabilis pluribus, propter rationes conclusionis.

Obiicitur secundo, pro ipso: si genus non debet esse in pluribus speciebus, sed posset conservari in pluribus individuis, non distingueretur à specie: sed hoc est falsum, ergo.

Respondetur negando sequelam maioris, quia distingueretur à specie per hoc quod prædicaretur, ut pars essentialis determinabilis & in quid, quando quidem species sit prædicabilis ut tota essentia.

Obiicitur

Obiicit tertio Scotum supra, qui videtur dicere quod genus requirit plures species. Respondeo intelligendum de speciebus non vt communicabilibus formaliter, sed vt capiuntur pro naturis distinctæ rationis essentialiter, siue illæ naturæ sint communicabiles, siue non sint: quo etiam modo plures alij authores intelligi possunt.

CONCLUSIO II.

38. *Genus non requirit plures species actu existentes, siue ne communicabiles.* Hæc est authorum primæ & tertiæ sententiæ contra secundam sententiam. Probat, quia eo ipso quo essent plures species animalis possibiles, animal posset vere inesse pluribus distinctæ speciei, & esset prædicabile in quid incomplete de ipsis: ergo eo ipso esset genus, quamuis nec plures species ipsius actu existerent, imo quamuis non existeret actu vlla species eius, & consequenter vt aliquid sit genus formaliter siue metaphysicè siue logicè, non requiritur quod existant actu plures species eius.

Confirmatur: nihil aliud requiritur ad genus, quam quod sit aliquid potens inexistere pluribus, & potens prædicari de pluribus speciebus in quid: sed hoc potest competere generi, animali verbi gratia, quamuis nulla species eius actu existat: ergo potest dari genus absque pluribus speciebus actu existentibus. Probat minor: potest aliquis vere prædicare animal de homine & considerare ipsum inexistere homini, quamuis homo non existat: hinc enim dicitur quod hæc propositio & similes sint æternæ veritatis: homo est risibilis: sed nō potest animal prædicari potius de homine non existente, quā de homine & bruto non existentibus: ergo animal est prædicabile de homine & bruto, quamuis homo & brutum non existerent, aut vllæ aliæ species animalis.

39. *Confirmatur secundo*, quia tota entitas animalis existeret in vno solo individuo ipsius, nimirum in homine: ergo prædicabilitas ipsius de pluribus speciebus & aptitudo ad inexistendum illis tum existeret, quia illa aptitudo & prædicabilitas identificatur isti naturæ animalis: ergo vltorius esset prædicabile de illis speciebus & aptum inexistere ipsis: sed nihil aliud requiritur ad genus quam hoc.

Dices non existere tum aptitudinem proximam, & prædicabilitatem, sed tantum remotam, quæ non sufficit ad constituendum genus formaliter.

Contra primò, quia non satis constat quod ad genus metaphysicum & primò intentionaliter acceptum requiratur aptitudo & prædicabilitas proxima.

Contra secundo, quia quantum ad aptitudinem inexistendi, illa est semper proxima, quia semper & necessariò ex ipsis illa natura in pluribus speciebus; quantum autem ad prædicabilitatem, licet non esset proxima absque eo quod consideraret intellectus illam naturam in pluribus, tamen fieret proxima per talem considerationem; sed potest considerari in pluribus speciebus, quāuis plures illæ species non existerent actu: ergo potest esse prædicabile proxime de pluribus speciebus sine actu li existentia plurium specierum.

40. *Dices genus quidem posse conferuari in vnica specie, vbi gratia animalitatem in homine solo, quamuis nullum aliud animal esset possibile, quatenus est totum actuale constans sensitiuitate & gradibus superioribus; non tamen conferuaretur quatenus esset totum potentiale, hoc est quatenus est quid perfectibile metaphysicè per differentias specificas: & in hoc sensu negatur à Thomistis ipsum posse conferuari in vna specie.*

Contra, quia animal conferuatum in vnica specie non solum includit partes metaphysicas, ex quibus actualiter constat, vt sensitiuitatem & gradus superiores, sed etiam habet potentialitatem & perfectibilitatem, per alias differentias specificas, quamuis illæ differentie specificæ non existant nec species per eas constitutæ: ergo non solum animal conferuatur in vna specie, vt est totum actuale, sed etiam vt est totum potentiale & perfectibile.

Confirmatur hoc primò, quia materia prima, non solum vt est quid actuale compositum ex prædicatis suis intrinsecis, sed etiam vt est quid physicè potètiæ, conferuaretur

sub vna tantum forma substantiali, imo sub nulla, si existeret absque vlla forma, & hoc ideo quia vt sic existens posset actuari per quacumque formā substantialē, licet nulla forma substantialis existeret: ergo quandoquidem animal conferuatur in solo homine esset perfectibile vltorius, & potens existere in pluribus animalibus, debet dici quod conferuaretur in illo homine vt totum potètiæ.

41. *Confirmatur secundo*, quia si genus non posset conferuari in vna specie, vt est quid potentiale, absque eo quod existeret aliæ species & differentie, respectu quarum dicitur quid potètiæ, sequeretur quod ad conferuationem generis omnes species possibiles ipsius deberet actu existere: sed hoc videtur absurdum, quia sic, si destruerentur de facto omnes mures relictis cæteris animalibus, animal non conferuaretur sub ratione sua generica, imo non potuissimus scire an aliquod genus de facto sic conferuaretur, quia non possumus scire absque reuelatione quod omnes species possibiles vllius generis substantialis præsertim, existant. Probat sequela maioris, quia non magis est genus in potentia ad vnā differentiam & speciem, quam ad reliquas: ergo si vt totum potentiale non possit conferuari in vna specie absque existentia alterius, non poterit conferuari vt sic absque existentia reliquarum omnium specierum.

Confirmatur tertio, quia species est quid potentiale ad individua, & tamen potest conferuari vt sic in vno individuo: ergo quamuis genus sit quid potentiale ad plures species, poterit conferuari vt sic in vna specie absque existentia actuali vllius alterius.

42. *Dices* disparitatem esse rationem quia species est quid completum essentialiter, & quamuis sit vltorius communicabile, non tamen ad aliquid quod compleat ipsum essentialiter, quandoquidem hæceitas non sit prædicatum essentialiter: genus autem est quid essentialiter vltorius complebile & perfectibile: vnde bene potest species manere in vno individuo, quamuis genus nequeat manere in vna specie.

Contra: hæc disparitas nihil prorsus facit ad rem, nam quamuis genus sit quid imperfectius quam species, ob rationem dictā, & quamuis sit quid essentialiter incompletum; tamen hoc non tollit ab ipso quin possit conferuari absque omni suo complemento, sicut materia prima potest conferuari absque multis perfectionibus, quibus perfici possit secundum omnes, imo & absque vlla perfectione sua, hoc est absque vlla forma substantiali, in sententia Scotistarum iam communiori.

43. *Dices cum Complutensibus*, integra perfectio potètiæ desumitur ex actu adæquato illi correspondenti: sed natura generica est potètiæ metaphysica respiciens, vt perfectione adæquatam, omnes differentias specificas: ergo non habet omnem suam perfectionem, nisi actu perficiatur omnibus illis differentiis, & consequenter non poterit conferuari absque existentia omnium specierum: natura autem specifica nō est potentia ad aliquā perfectionem essentialē vltiorem; & propterea bene potest cum omni sua perfectione existere in vno individuo.

Contra primò, quia licet natura specifica non sit in potentia metaphysica ad aliquam formalitatem essentialē vltiorem, sicut genus est; tamen certum est quod sit in potentia metaphysica ad hæceitatem, & quod sit per illam tam determinabilis ad vnum individuum, quam natura generica est determinabilis ad vnā speciem per differentiam specificam: & similiter certum est quod terminus adæquatus illius potètiæ non est vna hæceitas, sed collectio omnium hæceitatum, sicut terminus potètiæ, quam habet natura generica, non est vna differentia specifica, sed collectio omnium differentiarum: ergo si natura specifica non obstante hac potentialitate possit manere in vno individuo, similiter etiam natura generica non obstante sua potentialitate poterit manere in vna specie.

Contra secundo: quia aliud est naturam genericam non manere in vna specie simul cū omni perfectione, quam respicit vt totum potentiale; aliud quod ipsa natura generica cum potentia sua, qua respicit illas perfectiones,

K non

Genus non requirit plures species actu existentes.

Alia replica.

Genus conferuatur in vna specie, etiam quatenus totum potètiæ.

non maneat in vna specie. Primum verissimum est, nec potest versari in cōtrouersia, cum euident sit, perfectionem irrationalitatis non reperiri à parte rei in homine, nec cū animalitate existēte solūmodo in homine: & hoc tantum est quod ex prædicto discursu Complutensium colligi potest. Secundū vero, quod faceret ad propositum cōtra nos, neq; est verū, neque sequitur ex illo discursu aut vllo alio bono; imo euident videtur quod natura generica maneat in vna specie cū illa potētiā. *Contra tertio*, quia licet ex illo discursu sequatur quod natura generica non habeat omnem perfectionem, quā exigit habere actualiter à parte rei: tamen hoc non facit ad rem, nisi ostendatur, quod ad hoc vt habeat rationem genericam perfectē, debeat habere actū omnes illas perfectiones, nam si non debeat habere actū omnes illas perfectiones, ad hoc vt habeat rationem naturæ genericæ formaliter loquendo, poterit conservari natura generica vt talis in vna specie, quod est nostrum intentum. Si autem non possit habere rationem naturæ genericæ absque existentia actuali omnium illarum perfectionum, verum erit, quod non possit conservari natura generica, vt talis, in vna specie. Itaque cum aduersarij nequeant probare, quod ad hoc vt aliquid habeat rationem formalem naturæ genericæ, debeant existere actu plures species, & cum ex nostris fundamentis optime probetur oppositum, maior probabilitas nostræ sententiæ manifeste patet.

45. *Obiicies secundum Philosophum 3. Met. tex. 10.* non est genus quod non habet sub se species: ergo vt saluetur genus debent dari plures species à parte rei. *Respondeo* distinguendo antecedens, & explicando Philosophum: non est genus quod non habeat sub se plures species actu existentes, nego; actu vel potentia existentes, transeat antecedens, & nego consequentiam. *Obiicies secundo* ex Complutensibus; De facto non datur genus vllum, quod non habeat plures species, & datur plures species in vno individuo, vt species Solis, Lunæ, Phœnicis: ergo signum est quod genus actu exigit plures species, licet species non exigit plura individua, alias enim natura superflueret in multitudine specierū, & deficeret in non multiplicando illa individua. *Confirmant primo*, quia natura per se intendit multitudinem specierum in vniuerso, non autem individuum; & hoc ideo quia genus respicit plures perfectiones essentielles distinctas, species non item: ergo genus secundum potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis, non intelligitur plene saluari in vna specie.

Confirmant secundo, quia genus est perfectibile per se per plures differentias essentielles: ergo non est adæquate perfectum in vna specie.

Incertū
an detur
de facto
genus in
vna tantū
specie.

46. *Respondetur*: quidquid sit de veritate antecedentis quoad primā partem, de qua valde dubitari potest, quia incertissimum est, quin detur de facto aliquod genus in aliqua vna specie: quis enim scit quin possit dari aliquis equus distinctus speciei ab equis de facto existentibus, & cōueniens cum illis in ratione equi, vt sic? quæ ratio de facto dicitur species infima, quia nō scimus an sit cōtrahibilis per aliquas differentias específicas; non esset tamē species infima si esset sic contrahibilis. Sed quidquid inquā sit de hoc, quod nunquam probabunt aduersarij;

Respondetur primo, concedendo totum; sed nihil inde concluditur contra conclusionem, quia aliud est, quod genus exigit plures species, aliud quod non possit saluari ratio ipsius, quamuis non darentur illæ plures species actu. Sicut aliud est, quod materia prima exigit formam substantialem, & aqua frigus, & graue esse deorsum; aliud quod non saluaretur ratio materiæ, si poneretur absque vlla forma, & ratio aquæ, si poneretur absque frigore, & ratio grauis si poneretur sursum absque vbi deorsum. Itaque quamuis exigit genus plures species, tamen non sequitur quin saluaretur ratio eius, quamuis non darentur illæ plures species.

47. *Respondetur secundo* negando consequentiam, quia licet de facto dentur plures species cuiuslibet generis,

non tamen sequitur quod hoc fiat ex exigentia generis, sed ex eo, quod conducatur ad decorem & vtilitatem vniuersi secundum dispositionem & prouidentiam Dei statutam de facto. Sicut non sequitur ex eo, quod sint de facto plures homines & plures lapides, quod hoc oriatur ex exigentia naturæ humanæ aut lapideæ, etiam secundum aduersarios, sed potius ex eo, quod Deus voluerit producere plures tales.

Genus
non exi-
git plu-
res spe-
cies exi-
stere.

Confirmatur: genus non exigit species de facto existentes magis quam alias possibiles, præsertim æque perfectas aut perfectiores: sed has non exigit ita, quā absque illis possit saluari; aut ita, vt sit in statu violento absque illis, vt apparet euident: ergo neque exigit species illas omnes, quæ sunt de facto, aut plures ex illis, ita vt absque illis esset in statu violento, aut vt non saluaretur ratio ipsius absque illis.

48. *Ad primam confirmationem*, quidquid sit de antecedenti prima parte: *Respondeo* negando consequentiam; sicut enim saluatur potentialitas materiæ primæ ad illas formas substantiales possibiles & existentes, quando est sub vna forma solasita saluatur potentialitas generis ad omnes differentias possibiles, quando reperitur actu existens cum vna sola differentia.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo consequens: non est adæquate perfectum perfectione omni, per quam est perfectibile, concedo consequentiam, nec debet esse sic perfectum, vt saluetur ipsius conceptus proprius: non est adæquate perfectum omni perfectione quam debet habere vt existat, & habeat rationem formalem perfectissimam generis, nego consequentiam.

Quod si velint Complutenses, genus non dari à parte rei in vna specie cum omni illa perfectione sibi extrinseca, quam haberet sub pluribus speciebus, vt videntur solummodo velle, quantum licet conicere ex doctrina, quam dant in solutione argumentorum, concedendum est, quod intendunt; nec vllus in eo sensu id vnquam negauit: sed valde improprie loquuntur, & reducunt difficultatem ad quæstionem de nomine.

49. *Obiicies tertio ex Ioanne a sancto Thoma*; Genus diuiditur per oppositas differentias & contrarias: sed si vnum contrariorum existit in rerum natura, alterum etiam debet sic existere: ergo genus nequit existere in vna specie sola. Probat minorem, quia contraria sunt circa idem subiectum: ergo subiectum vnius ex contrariis debet habere potentiam ad alterum contrarium; alias contraria non essent circa idem subiectum, nec expellerent se formaliter: ergo si vnum contrarium sit in rerum natura, alterum debet esse possibile.

Respondetur negando minorem & concedendo totam probationem eius, sed ex illa non sequitur illa minor: nam aliud est, quod si vnum contrarium sit in rerum natura, alterum contrarium sit possibile, & hoc tantum probatur illa probatione: aliud vero quod si vnum contrarium sit in rerum natura, alterum contrarium debeat esse in rerum natura existens: hoc autem nos negamus, & probari deberet ab aduersario. Sed nequaquam probari potest, tum quia euident est, quod caler posset esse in rerum natura existens, quamuis non existeret frigus; & quod de facto sæpe habeantur volitiones in rerum natura sine existentia nolitionum oppositarum ipsis; tum etiam, quia sequeretur quod omnes differentie possibiles, animalis verbi gratia de facto existerent; quia omnes illæ differentie sunt contrarie rationalitati de facto existenti: hoc autem est absurdissimum, etiam secundum prædictum authorem qui ad existentiam generis, & saluandam rationem eius non requirit nisi duas species, quamuis plures essent possibiles.

CONCLUSIO III.

50. *Ad saluandam rationem generis metaphysici*, quatenus genus metaphysicum est illud, quod est aptum naturæ inesse pluribus, requiritur possibilitas plurium specierum, quæ etiam possibilitas requiritur ad saluandam rationem generis logici. Hæc est absque controuersia, & patet, quia non posset verè inesse multis speciebus, nec

Genus
requirit
plures
species
possibi-

nec esse prædicabilis vere de illis, absque possibilitate plurium specierum: ergo non posset habere rationem generis metaphysici aut logici.

Dices; quamvis repugnarent omnes species animalis præter humanam, ratio animalis reperiretur perfectissime in homine: sed ratio animalis est ratio generica: ergo saluaretur ratio generica absque possibilitate plurium specierum.

Respondeo distinguendo minorem: ratio animalis est de facto ratio generica ex suppositione possibilitatis plurium specierum, concedo; est ratio generica ex suppositione quod esset impossibilis illa pluralitas, nego minorem & consequentiam.

Aduertendum autem, quod si vera esset sententia Thomistarum dicentium rationem specificam, etiam ut vniuersalem, posse reperiri absque possibilitate plurium indiuiduorum, eodem modo rationem genericam posse conservari absque possibilitate plurium specierum: quia enim ratione posset dici quod natura specifica posset inesse & prædicari de multis, non obstante impossibilitate indiuiduorum, posset etiam natura generica inesse aptitudinaliter, & prædicari de multis speciebus, non obstante impossibilitate plurium specierum, nec disparitas est assignabilis.

CONCLUSIO IV.

50. Ad cognoscendam aliquam naturam esse genericam metaphysicè aut logicè, debent cognosci plures species esse possibiles, quibus inexistat; non tamen est necesse, ut vel actu existat vlla species eius, vel cognoscatur existere. Hæc est extra controuersiam, & patet prima pars, quia non potest cognosci animal verbi gratia, esse vniuersale aut logicè, aut metaphysicè, nisi quatenus cognoscitur, ut habens aptitudinem inexistendi pluribus speciebus, aut ut habens prædicabilitatem de illis: sed certum est non posse talem aptitudinem aut prædicabilitatem cognosci absque cognitione terminorum, quos respicit: sed respicit illa aptitudo & prædicabilitas plures species possibiles: ergo debent cognosci tales species possibiles; ut cognoscatur illa aptitudo & prædicabilitas.

Probat secundam partem; quia eo ipso quo haberet quis conceptum animalis, & conceptum hominis & bruti, quamvis nullum animal existeret, cognosceret naturam animalis esse aptam inexistere homini & bruto, & posset de illis prædicari: sed hoc sufficeret ad hoc, ut cognosceret illam naturam esse genericam: ergo ut cognoscat naturam aliquam esse genericam, non est necesse ut existat vlla species eius, aut ut cognoscatur existere.

CONCLUSIO V.

52. Requiritur cognitio plurium specierum, ut natura fiat vniuersalis logicè, intelligendo per naturam sic vniuersalem, naturam proxime prædicabilem de multis, si vero intelligeretur per naturam logicè vniuersalem naturam abstractam à singularibus, & ex se prædicabilis de multis speciebus, quamvis non proxime, non requireretur ad naturam logicè vniuersalem faciendam cognitio plurium specierum, aut vllius speciei. Hæc non potest esse in controuersia, & patet prima pars, quia nisi consideretur, ut inexistens pluribus speciebus, non potest esse proxime prædicabilis de illis.

Probat secundam partem; quia eo ipso quo consideraretur natura animalis, non considerata vlla eius specie, illa esset ex se prædicabilis de multis, licet non proxime, propter defectum considerationis eius in multis; & esset abstracta à speciebus, hoc est considerata absque consideratione specierum: ergo esset vniuersalis logicè in sensu conclusionis.

QUÆSTIO VI.

Vnde desumitur ratio generica, & differentia rerum quæ constant genere & differentia.

*53. Q*uia satis vulgare axioma est, præsertim inter Thomistas, quod ratio generica desumatur à materia, & differentia à forma in rebus constantibus materia & forma; placuit proponere hanc quæstionem: ut intelligatur quo sensu id possit esse verum.

Prima sententia est, in rebus corporeis genus desumi à materia prima, & differentiam à forma substantiali. Hanc tenent Thomistæ, sed non tamen eodem modo explicant, quomodo id sit verum; conuenientior autem explicatio, est, quam adducunt *Complutenses*, & *Iuanes à Sancto Thoma* hic, quod id sit verum non de ipsa materia prima sola secundum se considerata, sed de ea ut afficitur & informatur forma substantiali; quatenus est principium minus perfectæ operationis aut effectus: verbi gratia materia prima affecta anima rationali habet & posse sentire, & posse discurre, & ex his duobus effectibus perfectior est discursus quam sensatio; vnde si consideretur materia prima, ut affecta anima, quatenus est principium sensationis, ab ea ut sic, desumitur ratio generis, nimirum animalitas; si vero consideretur ut affecta anima, quatenus est principium discurrendi, ab ea ut sic desumitur ratio differentie, nimirum rationalitas. Concedunt autem hi authores rationes istas desumi proxime à tota entitate rei, sed dicunt remote eas desumi ex materia & forma modo explicato.

Communior sententia est, quam tenet *Doctor*, 1. dist. 3. & dist. 8. qu. 3. cum suis & recentioribus, genus non sumi à materia, nec differentiam à forma proprie loquendo.

54. Pro resolutione aduertendum est desumi genus & differentiam ab aliqua re, non esse aliud quam propterea rem habere tale prædicatum genericum, quia constat tali re, aut quia est talis res, aut propterea colligitur quod habeat tale prædicatum genericum aut differentiale, quia scitur habere talem entitatem physicam, aut consistere tali entitate physica; vnde si propterea homo habeat animalitatem, quia habet materiam aut corpus; aut si propterea colligitur habere animalitatem determinabilem per rationalitatem, quia scitur consistere materia aut corpore, sequitur manifeste quod genus hominis desumatur à materia aut corpore eius. Si vero non propterea habeat animalitatem, nec cognoscitur habere ipsam, genus non desumitur à materia. Loquor autem semper de genere, ut est quid contrahibile & determinabile per differentiam; & de differentia, ut est quid determinatiuum generis.

CONCLUSIO I.

55. Genus non desumitur nec proxime, nec remote à materia prima sola. Hæc est *Doctoris* supra cum suis & recentioribus communiter, ac melioribus Thomistis: & probatur euidenter non solum quia reperitur ratio generis in pluribus rebus, quæ non constant materia, ut in Angelis, ac accidentibus quibuscumque; sed etiam quia si in ipsis rebus corporeis genus desumeretur à sola materia, omnes res corporeæ conuenirent in iisdem rationibus genericis: sed hoc est absurdum, cum certum sit lapidem non habere animalitatem nec vitam, quæ sunt rationes genericæ repertæ in solis viuentibus: ergo non desumitur gradus genericus, nec vniuersaliter, nec etiam in rebus corporeis à sola materia prima. Probatur sequela maioris pro vltima parte, de qua sola posset dubitari, quia si animalitas verbi gratia desumeretur in homine aut animali quocumque à materia sola, aut proxime aut remote, tum verum esset quod propterea solummodo & præcise haberet animal quodcumque animalitatem, quia haberet materiam, aut quod propterea solummodo colligeretur habere animalitatem, quia cognosceretur habere materiam; sed si hoc esset verum, quodcumque corporeum constans materia deberet habere animalitatem, quia si materia sola esset causa cur vñ corporeum haberet animalitatem, aut cognosceretur eam habere, deberet colligi quod omne constans materia haberet animalitatem; & idem esset de cæteris rationibus genericis: ergo si in corporeis desumeretur genus à sola materia siue proxime siue remote, omnia corporea includentia materiam deberent conuenire in omnibus rationibus genericis.

56. Confirmatur, quia si materia sola aut proxime aut remote esset sola causa, cur homo haberet animalitatem, deberet

Secunda sententia.

Quid est, genus ac differentiam desumi ab aliqua re.

Genus non desumitur à materia prima sola.